

an liber in sensu auctoris contineat hæresin, non pertinet ad doctrinam fidei formaliter et immediate, T. nequidem virtualiter et mediate, N. Conformiter ad dicta in Tr. pr. formaliter et immediate ad fidei doctrinam pertinere statuimus, quod vel est expressum fidei objectum materiale, aut in eo formaliter sive implicite sive explicite continetur: virtualiter autem et mediate ad illam spectare dicimus, quod ad objectum fidei materiale vel sequela, vel conformitate, vel oppositione, vel alio modo ita refertur, ut inde fidei aut veritas aut integritas notabiliter afficiatur. Posteriorem pertinentiæ speciem cum objectio, *in majore*, subtrahere infallibilitati Ecclesiæ, et *in minore*, negare materiæ nostræ controversæ conetur, ad utriusque propositionis probationes respondere oportet. Hinc.

*Ad Maj. prob. 1. D. m.* Salva fidei doctrina, secundum omnia quæ tum formaliter et immediate, tum virtualiter et mediate ad eam pertinent, portæ inferi non prævalent adversus Ecclesiam, C. Salva fidei doctrina, secundum ea tantum quæ pertinent huc formaliter et immediate, læsa autem secundum ea quæ virtualiter et mediate illuc referuntur, N.

*Ad 2. R.* neutram auctoritatem huc facere; quia Leo *firmitatem*, h. e. ratihabitionem seu approbationem tantum negat actis legatorum suorum, ultra vel contra mandatum negotia tractantium; Pelagius autem concedit tantum *retractari* aut *reprehendi* iudicium circa personas, diserte scribens: « Licentia tribuitur, ut quicquid illic extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. » Præterea vero neuter fidei causas ad sola formaliter et immediate afficientia fidem restringit.

*Ad 3. R.* plerosque omnes similiter loqui vel de personis, vel de factis particularibus. Verba Angelici Doctoris sunt: *In aliis vero sententiis, quæ ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est Ecclesiam errare; Cani autem: In moribus non toti Ecclesiæ communibus, sed qui ad privatos homines, vel Ecclesias referuntur, errare per ignorantiam Ecclesia potest.* Tostatus et Gerson asserunt quidem Ecclesiæ infallibilitatem in necessariis, nihil autem præterea negant: Dion. Carthus. tandem Ecclesiam tenet fallibilem, sed *in facto et his quæ facti sunt*, scilicet particularibus et cum fide nullatenus connexis.

*Inst. 1.* Quod ad fidei et morum doctrinam pertinet, in verbo Dei vel scripto vel tradito revelatum continetur, ut Tr. Sess. 4. in dec. de Canon. script. asserit: hunc autem esse sensum libri, vel librum in sensu auctoris continere hæresin, in neutro Dei verbo continetur: ergo. 2. Doctrina fidei et morum ipsa potest teneri illibata, etsi per errorem facti existimetur quod ea hoc vel illo libro S. Patris non contineatur; et error doctrinæ oppositus damnari potest, etsi similiter putetur illum in hæretici libro non reperiri: quia ut Facundus Hermian. L. 5. c. 3. ait: *Aliud est, ideo hæreticum excusare, quod catholicus putetur; et aliud ipsam hæresin approbare atque defendere:* ergo. 3. Hæc v. g. enuntiatio: quinque propositiones hæresin continentes damnatæ sunt in sensu Jansenii, æquivaleret his duabus: quinque propositiones hæresin continent; et quinque hæc propositiones sunt in libro Jansenii: sed licet prior propositio pertineat ad dogma, posterior tamen complectitur purum factum: ergo.

*R. Ad. 1.* Redit prior distinctio de formaliter et immediate pertinentibus

ad fidem, quæ utique revelata esse oportet et Tridentinum dicit, quin idem requiratur ad aliter pertinentia, aut ab horum numero excludatur quæstio nostra controversa. *Ad 2. R.* hujus falsitatem in conf. 1. postremæ assertionis ostendimus. Quod dictum Facundi attinet, in thesi quidem id subsistere potest, in hypothesi autem docentis et discentis Ecclesiæ non tenet. *Ad 3. R.* Nec propositionem 2<sup>am</sup> exponentem accipi debere seorsim ac divisim, ostendit conf. *prima* citata; nec, si solitarie accipiatur, penitus sejunctam esse a fidei doctrinâ, declarat conf. *secunda* ibidem: adeoque N. *Cons.*

*Inst. 2.* Ecclesia in pluribus casibus retractavit suum iudicium circa facta dogmatica: ergo non agnovit se infallibilem. *Ant. prob.* quidem *circa propositiones*: 1. Hæc: Filius est consubstantialis Patri, damnata est in Conc. Antiocheno, probata in Nicæno: 2. Ista: Maria est Christipara, ante Conc. Ephesinum habebatur catholica, post illud hæretica: 3. Hanc: una in Christo natura est incarnata, Ecclesia probavit in Cyrillo, damnavit in Eutychete: 4. Istam: unus de Trinitate est crucifixus, Hormisdas reprobat ut Eutychianam in monachis Scythis, Joannes II. ratam habuit in aliis.

*Circa libros* autem: 1. Marcelli Ancyranæ opera Julius cum Conc. Sardicensi censuit catholica, Basilius et Chrys. cum universa Ecclesia rejecit ut hæretica. 2. Libellum Professionis Celestii Zosimus orthodoxum primo habuit, postea heterodoxum cum Africana Ecclesia declaravit. 3. Tria Capitula probavit Synodus IV. Generalis ac Vigilius, damnavit Synodus V. idemque Vigilius.

*R. N. A.* Quæ ad ejus probationem afferuntur, si intelligantur de propositionibus et libris secundum se sumptis, contra ipsos adversarios pugnant: si autem de relative sumptis ad sensum auctoris, nullatenus retractationem, sed diversitatem iudicii de diversis sensibus ostendunt. Hinc

*Ad prioris classis prob. 1. D.* Hæc propositio, *Filius est consubstantialis Patri*, a Conc. Antiocheno damnata est in sensu Sabellii et Pauli Samosatani, per 10 consubstantialis intelligentium identitatem personæ; et a Nicæno probata est in sensu Patrum, per eam vocem intelligentium identitatem naturæ contra Arium; C. utrinque in eodem sensu accepta, et sic damnata ac probata fuit, N.

*Ad 2. D.* Ista propositio, *Maria est Christipara*, in sensu catholico, non dividente personam Christi a persona Verbi, ante Conc. Ephesinum habebatur catholica; et in sensu Nestorii, dividens personas et negantis unionem hypostaticam, post illud habebatur hæretica, C. in sensu eodem, sive Nestorii sive Ecclesiæ, N.

*Ad 3. D.* Ecclesia probavit propositionem hanc, *una est in Christo natura incarnata*, significando unitatem assumptionis seu naturæ assumptis; et damnavit eandem, significando unitatem confusionis naturarum tum assumptis tum assumptæ, C. Secus N.

*Ad 4. D.* Propositionem istam *unus de Trinitate est crucifixus* secundum naturam divinam vel saltem confusam, damnavit Hormisdas; et unum de Trinitate esse crucifixum secundum naturam humanam probavit Joannes, T. aliter, N. Dixi: *Transcat*; quia sicut a Nat. Alexandro et Norisio satis vindicata fuit fides Scytharum monachorum; sic ostensum est, Hormisdam nullo decreto damnasse propositionis doctrinam, sed cohibuisse duntaxat



intempestivam et periculosam ejus prolationem, ac reprehendisse destitutum prudentia et auctoritate magisterium monachorum, qui, quotquot propositioni a se dictate subscribere nollent, Nestorianismi incusabant.

*Ad posterioris classis prob. 1. R.* falsum imprimis esse, quod universa Ecclesia opera MARCELLI rejecerit tanquam hæretica; cum nullum hujus judicii monumentum, sed opposita potius Papæ et concilii sententia extet. Deinde pro diversitate opinionum diversa est responsio. Qui MARCELLO favent, fidem potius habendam dicunt professioni a Marcello editæ, iudicibus de ejus causa legitimis, et Athanasio coævo, orthodoxiam ejus probantibus, quam historicis et Patribus, tum ob temporis et loci distantiam deceptioni expositis, tum ob Eusebii accusationem et fraudulentas Arianorum narrationes reipsa deceptis. Qui moderatius adversantur, librum Marcelli contra Asterium recte probatum dicunt a Julio et Conc. Sardicensi; tum quod articuli, quorum causa accusatio hæresis facta fuit, ibidem non asserendo, sed dubitando et quærendo tantum proponerentur; tum quod edita professione, ambiguitatem ac dubium Marcellus abstulisset: volunt tamen eundem librum nec immerito damnatum postea a Patribus aliis; propterea quod Marcellus editis deinceps scriptis aliis, dogmata olim sub dubitatione proposita jam assereret, et sic vel mutatam mentem, vel fraudem antea factam declararet; quorum posterius ad damnationem, prius ob fundatam fraudis suspicionem ad infamiam libri omnino jus tribuebat.

*Ad 2. R.* ZOSIMUS nec solemniter nec privato iudicio professionis Celestii dogmata probavit, sed fidem personalem, quam ille mendaci suorum dubiorum subjectione ad Ecclesiæ iudicium præ se tulerat, laudavit: cognita vero postmodum contumaci errorum assertionem, quam Celestius Africana disputatione, et declinato per fugam iudicio Romano, prodiderat, Pontifex damnata jam prius dogmata et ipse damnavit, et errorem facti mere personalis condemnatione personæ correxit.

*Ad 3. R.* falsum esse, quod Conc. Chalcedonense tria Capitula (quo nomine scripta et personalis fides Theodori Mopsuesteni, Theodoretæ Cyrensis et I bæ Edesseni Episcoporum veniunt) approbarit. De Theodori enim jam mortui sive scriptis sive persona a Concilii Patribus nulla facta est mentio: de Theodoretæ et I bæ personis actum quidem, et posterioris epistola ad Marin quoque lecta est; sed nullo de ea Concilii iudicio lato, post data penitentia signa et dictum Nestorio anathema, uterque sedi suæ fuit restitutus. Cum vero Conc. Constantinopolitanum II damnarit scripta et personam Theodori, Theodoretæ autem et I bæ scripta quidem, non item personas reprobarit, aperte constat nullam hic intervenisse iudicii retractationem, nec Conciliorum contradictionem ullam.

VIGILII variatio has epochas et causas habuit: Primo quidem *Edicto* Justiniani, tria Capitula damnantis, Pontifex subscribere recusavit; tum quod in fidei controversias jus Imperatori nullum tribuere vellet; tum quod Occidentales, inter quos tum Romæ erat, persuasum haberent, hoc edicto, ab Acephalis fabricato, Conc. Chalcedonensis auctoritatem convelli aut tentari.

Deinde cum spes et promissa fierent, Acephalis, damnatis Capitulis, subscripturos Chalcedonensi, VIGILIUS, jam Constantinopolim profectus, edidit *Judicatum* Edicto conforme, addita hæc clausula: *Salva in omnibus auctoritate Concilii Chalcedonensis*; ut scilicet scrupulum Occidentalibus adimeret:

quod tamen cum consequi non posset, Occidentaliumque suspicio et indignatio crederet, jussit suspendi examen omne de Capitulis, donec generale concilium congregaretur, cujus pars altera ex Orientis, altera ex Occidentis Episcopis foret. Postea, ubi contra datam fidem concilium e solis Orientalibus coactum videret Pontifex, et interesse illi noluit, et *Constitutum* condidit, quo 1. damnantur tum excerptæ, tum forsan excerptæ doctrinae hæreticæ ex scriptis trium Episcoporum; ad præcedendam scilicet Acephalis excusationem: 2. negatur damnari posse aut debere personas; quia Theodorus quidem in pace Ecclesiæ obierit, Theodoretus autem et I bæ reconciliati forent: 3. Idem negatur ex eadem ratione de scriptis *sub nomine* Theodoretæ aut I bæ damnandis; utrumque scilicet ad metum Occidentalibus tollendum: 4. Prohibetur fieri ulteriorem questionem et Concilii progressum; ut nempe satisfaceret Occidentalibus præteritis, et a Concilio non expectatis.

Demum posteaquam, absoluto jam Concilio, Imperator et Orientales damnationi tum scriptorum omnium tum personæ Theodori factæ pertinaciter inherentes, schisma apertum, ni confirmaretur Concilium, minarentur; Pontifex tandem, priori œconomia usus, postulatam Concilio robur impertivit.

*Inst. 3.* Unanimis Patrum et Theologorum usque ad natam de sensu Jan-senii questionem consensus fuit, errare Ecclesiam posse in factis dogmaticis: ergo opposita doctrina tanquam nova est rejicienda. *Ant.* patet ex variis factis:

Nam 1. Origenem sæpius cum sua doctrina damnatum laudant Greg. Thaumaturgus et Nazianzenus, Athanasius et Basilius; defendunt inter antiquos Didymus Alex., Pamphilus, Eusebius, Rufinus et Joan. Hierosolymitanus; inter recentiores Picius Mirandulanus, Joan. Merlinus, Sixtus Senensis, Genebrardus, Huetius, Stephanus Binetius et Petrus Halloix, ambo Jesuitæ.

2. In causa trium Capitulorum errasse Synodum V aut saltem errare potuisse, crediderunt Ecclesiæ Hispana et Gallica, quin et Pelagius I ac. II et Gregorius Magnus: item Pallavicinus, Baronius, Binius, Sirmondus, Petavius, Petrus de Marca, Godæus et Aguirrius.

3. Idem tuentur in causa Honorii a Synodo VI cum epistolis damnata Turrecremata, Baronius, Anastasius Bibliot., Binius, Bellarminus, Didacus Payva, Greterus, Sirmondus, Labbæus, Stapletonus, Petavius, Gonetius et alii.

4. Gilbertus Porretanus et Petrus Abailardus, a Conciliis Gallicanis damnati, quotidie per plures ab errore vindicantur.

5. In sensu libri Abbatis Joachimi damnato errasse Conc. Lateranense IV. censuit Gregorius Laudensis, et ejus Apologiam post examen permittens Inquisitio Romana.

6. In sensu Scriptorum Augustini et Thomæ de gratia iudicando errare posse Sedem Apostolicam, coram ipso summo Pontifice Paulo V professus est Societas Jesu, ut Hist. Congr. de Auxiliis L. 4. c. 2. docetur: Ergo.

*R. N. A.* Cui facta variaque Scriptorum studia tanto minus prosunt, quanto major et factorum numerus pro nobis stat, illaque hic contrarium haud evincunt.

Et quidem non 1. quia Patrum laus vel spectabat ingenium et eruditio-



nem, non dogma et fidem ORIGENIS; vel ferebatur ante lafam Ecclesiae sententiam et declaratos errores. Defensio Scriptorum vel controvertit aut negat factam ab universa Ecclesia damnationem; qualis est Pici Mirand., Merlini et Halloixii: vel contendit Origenis scripta haëreticorum fraudibus corrupta et insertis erroribus vitata; qualis est Joannis Hieros. Sixti Senensis, Genebrardi, et aliorum: vel occupatur in singulari capite, fide nimirum Origenis circa SS. Trinitatem; qualis erat Dydimi, Pamphili, Rufini et plurimum: vel excusat solam internam mentem auctoris; qualis est Bineti et quorundam. Horum autem agendi modorum nullus infallibilitati controversae repugnat.

Non 2. Imprimis enim Ecclesia Hispana (de Gallica si quidem præter quædam obscurius dicta Chrodoberti Ep. Turonensis et S. Columbani in ep. ad Bonifacium IV., nihil habetur) *Concilium V.*, quod putabat Chalcedonensi contrarium, recusavit quidem; sed cum hoc ipso in iudicio erraverit, et errorem facti mere personalis Ecclesiae tantum tribuerit; sicut res illa ad tempus prudenter dissimulata est ab Ecclesia, sic nullum sententiæ nostrae præjudicium infert. Pontifices deinde laudati adeo Synodum V. errasse non putarunt, ut eandem singillatim omnes confirmarint. Quod tamen scripserit PELAGIUS I. *licere cuilibet abundare in suo sensu*; PELAGIUS II. acta in Synodo V. vocavit *privata negotia, causas speciales et quaestiones superfluas*; GREGORIUS denique in ep. ad Theodelindam Longobardorum Reginam mentionem de Synodo V. deleverit; hoc, inquam, priores scripserunt de damnatione personarum et quidem in pace Ecclesiae defunctarum, quæ meri facti quaestio est; non autem de damnatione doctrinae sensusque litteralis et naturalis, quæ est quaestio facti dogmatici: posterius vero id fecit ex prudenti œconomia, illo præsertim tempore, quo necdum constabat inter omnes de certa Synodi auctoritate. Recentiorum denique Auctorum assertio pertinet maxime ad quaestionem illam in Constituto VICINI, num. 2. et 3. propositam; atque hinc Pallav. Tom. II. L. 11. c. 18. mentionem facit *hominum, non dogmatum*; Baron. ad an. 553. *personarum et facti, non fidei*; Binius in not. ad Conc. V. *tantummodo personarum*; Sirmond. in vita Theodoretii et Petav. L. 6. de Incarn. c. 17. *sensus interni et personalis*; tandem Petr. de Marca in Diss. de Vigilio, Godæus in Hist. Eccles. et Aguir. ad Conc. Tolet. XI. *Solius facti vel personarum, non autem juris divini vel dogmatis* meminerunt.

Nec 3. quia ex universo Auctorum numero soli Anastasius Bibliothecarius et Turrecremata, cum paucis forsitan aliis, fatentur errasse Concilium sextum. Eorum tamen prior non agnoscit hoc Concilium œcumenicum ultra confectionem decreti et canonum: posterior damnationem Honorii non habet conciliarem, utpote ex falsa informatione ac rumoribus mendacibus, non autem ex epistolarum examine profectam. Reliqui vel acta Concilii dicunt corrupta, nomenque Honorii fraude Græcorum iisdem intrusum; ut Baron., Binius, Bellarmin. cum multis: vel damnatam quidem Honorii œconomiam, non item doctrinam et fidem; vel si quidem etiam fidem, Honorii certe non ut Pontificis sed ut Doctoris privati iuste legitimeque damnatam; ut cæteri, alterutrum existimant.

Nec 4. tum quia Apologistæ sensum tantum internum et personalem defendendum susceperunt; cuius tamen laboris suscepti Berengarium Pictaviensem et Othōnem Frisingensem deinceps pœnituit: tum quia a par-

ticularibus tantum Conciliis, non vero ab universa Ecclesia, nec definiente Pontifice, damnationem decretam causabantur.

Nec 5. quia Gregorii Laudensis defensio versatur in unico puroque facto: cum ab aliena et malevola manu insertam velit *Joachimi* libro propositionem, quam jure damnatam ipse ostendit.

Non denique 6. quia ex tribus erroribus aut mendaciis id conflatum Theodor. Eleutherius L. 6. c. 4. Hist. de Aux. ostendit: inter quæ illud huc pertinet, quod ea propositio, non ex supplici Libello Societatis, sed alio ex scripto anonymo ignoti auctoris sit excerpta.

118. *Observe.* An definitiones Ecclesiae de factis dogmaticis pertineant ad fidem ita, ut fide divina credi debeant; an vero eatenus duntaxat, ut necessarius sit et certus mentis assensus? ad controversiam pluribus difficultatibus inmodandam quæri ab Adversariis et urgeri solet. Affirmant alii *primum*, eo quod de fide sit omnem textum, ab Ecclesia damnatum, esse vere damnabilem: sub qua enuntiatione universali cum quemlibet librum aut propositionem censuratum contineri facile et certo ostendatur, colligunt hujusmodi particularia, tanquam in illo universali implicite revelata, esse damnabilia etiam credi posse ac debere. Alii acquiescunt *secundo*, fidemque, qua credantur hujusmodi definitiones, non quidem exigunt divinam, nec tamen eam permittunt mere humanam, sed dicunt Ecclesiasticam; eamque certam et firmam exinde statuunt, quod Ecclesiae infallibilitati a Spiritu sancti assistentia profectæ imitatur.

In hac sententiarum diversitate, ut congruè ad dicta in Tr. pr. loquamur, opus distinctione videtur. Et siquidem quaestio, ut nonnunquam fit, eo redeat: utrum Ecclesia in his definiendis sit infallibilis? affirmari potest; cum ea ex hactenus dictis sufficienter probetur esse revelata, adeoque de fide: si vero in objecto definito sistat, ad formam iudicii attendere oportet. Et quidem ubi propositio v. g. damnatur ut hæretica, aut declaratur ut de fide certa, assensus fidei est præstandus: ubi vero damnatur sub mitiore censura, aut asseritur cum prærogativa inferiore, minoris etiam qualitatis assensus locum habet: servata scilicet ubique relativa proportione assensus ad iudicium. Aliæ objectiones, quæ ex *Janseniano facto* huc afferri solent, examinandæ sunt in hujus historia, quam in Tr. de Gratia dabimus et vindicabimus.

## ARTICULUS V.

*Quenam sit vera Christi Ecclesia?*

119. *Nota.* Ut designari vera Christi Ecclesia, certoque cœtui possit attribui, videtur necessario instituenda comparatio inter societates Religionis nomine conflatas, quæ reipsa existant ac durent, fidemque et nomen Christi profiteantur; atque ea facta sufficere: quandoquidem ex prioris defectu enuntiatio hic faciendæ foret de subjecto, ex defectu autem posterioris de prædicato non supponente. Unde non minus ab hac collatione excludimus Hæreticorum sectas, quæ olim exortæ jam interierunt, aut nondum exortæ forsitan prævidentur futuræ; quam nuper jam in Capitis præmio Antichristianorum